Imo habeat: valeat: vivat cum illa. Pamph. *Mi pater!*
Simo: *Quid? mi pater! quaſi tu hujus* indigeas *patris!*
Domus, uxor, liberi, inventi invito patre.

Simo vult: Tu *hujus*, id eſt, honeſti & ſeveri patris non indiges: ita rem tuam inſtituiſti, ita præ te tuliſti, ut non putes te *egere* ſive *opus habere* hoc patre.

Nihil frequentius in explicandis auctoribus, quam ut ad judicium & opinionem alterius verba auctorum referas. Hor. II. Od. 18. inſaniam villas in maris litora exſtruentium inſectatus; *Maris Bajis obſtrepentis urges ſubmovere littora*, parum locuples *continente ripa*. III. Od. 24. 62. Curtæ *neſcio quid ſemper abeſt* rei.

Curtæ rei, id eſt parvis opibus ex æſtimatione avari, quibus ſemper quid abeſt. *Semper* enim avarus *eget*, ut Horatius alibi.
Sic ap. Ter. Heaut. Act. I. Sc. II. 30 *parentum injuriæ*, non veræ, ſed ſuſpicione filiorum tales, quia parentes frena & retinacula licentiæ juvenili ſolent injicere.
Apud Ov. II. Faſt. 623. cui *pater eſt* vivax. Loquitur de filio patrimonii quam parentis amantiore, cui parens dives nimis vitalis eſt, licet trahat magis vitam, quam agat præ ſenio.

Tertia hæc loci hujus explicatio eo magis arridet nobis, quod pauciores, imo quod ſciam, nullos nomenclatores & advocatos eſt nacta.

δ) Κατὰ Μείωσιν ſive Λιτότητα, quæ hic non ineptam efficiet ſententiam locum noſtrum capies. Populi volentis animi *non egent* magnæ laudis: id eſt *contemnunt, vilipendunt, ſpernunt* magnam in excitando Italiæ imperio gloriam. Confirmat hanc expoſitionem ſuperior locutio: *quibus pertaeſum eſt magni incepti rerumque Æneæ.* Urget celebritas hujus Schematis. Vid. Ter. Heaut. I. Sc. I. 47. ubi Menedemum patrem iracundiorem pœnitet durioris in filium animadverſionis; *Ubi rem reſcivi,* (ait,) *cœpi* non humanitus (alii *non humaniter*) *animum ægrotum adoleſcentuli tractare.* Id eſt, duriter & inclementer. Exempla dat plurima Cortius, diligens obſervationum commentator, ad Saluſt. Cat. c. 3. & ad Cic. Fam. IV. ep. 5. not. 4. Ovidii locus V. Faſt. 230. huc adprime facit;

Sancta Jovem Juno, nata ſine matre Minerva
Officio doluit non eguiſſe *ſuo.*

Conf. Æn. XI. 701. 725.

ε) Κατὰ ῥητὸν, & quam ſimpliciſſime mentem Poetæ ſi declaraveris, laterem non lavabis. *Animos* nil *magnæ laudis* egentes, id eſt, non deſiderantes magnam gloriam. Sic etiam ad h. l. Cerda, licet fluctuans & æſtuans, παραφράζει: *gloriæ non adpetentes. Egere* proprie notat *deſiderare*, vel rem vel rei uſum. Si *perſona* eget, directe & vere deſiderat. Si *res* eget, analogicum eſt deſiderium: ſtatus ejus rei deſiderare videtur. Hor. Sat. I. 59.

At qui tantuli eget, *quanto eſt opus, is neque limo*
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.

Æn. II. 521. Hecuba ad Priamum inbellem vindicem;

\- - *non tali auxilio nec defenſoribus iſtis*
Tempus eget.

At Æn. VI. 37. Sibylla Æneam a contemplatione cælatarum forium templi revocans,

\- - *non hoc iſta ſibi* tempus *ſpectacula* poſcit.

NON EGET, qui non opus habet, non deſiderat, ut apud Hor. I. Od. 22. *Integer vitæ* non eget *jaculis vel arcu.* Cic. II. N. D. 57. *In ſomno oculis ad videndum* non egemus. Tuſc. IV. 24. *Tracta definitionem fortitudinis, intelliges eam ſtomacho* non egere. Propoſitum nobis erat, propter verbi hujus ambiguitatem, ſignificationes ſingulas ſpinoſas aliquando & intricatas, ſubtiliori definitione hic explanare: nec nullas cogitatione & obſervatione inter legendum copias optimis ex Auctoribus collegeramus. Sed anguſtiæ paginarum aliud ſuadent.

Terminus

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden